



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Sectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

rem, quantum est ex vi censura: quia aliunde ex praua dispositione excommunicati potest esse impedimentum, scilicet, si in peccato mortali sit, praesertim quoad fructum satisfactionis, si pro eo offeratur: quia quamdiu aliquis est in peccato mortali, nulla satisfactio potest ei applicari, nec poena remitti. Impetratio vero habere potest aliquem effectum: nam per orationes impetrari potest bona dispositio, vel aliquod auxilium ad illam. Et idcirco oratio pro aliquo non semper supponit in illo bonam dispositionem, sicut propriae satisfactionis communicatio.

Ratio dubitandi fuit.

At rationem ergo dubitandi in principio positam respondetur, huiusmodi orationem priuatam pro excommunicato non esse communicationem prohibitam ex vi huius censurae, imo nec proprie esse communicationem cum illo, sed esse quoddam opus misericordiae, seu spiritualis elemosynae, quae ex bonis propriis, & priuatis prohibita non est: quod etiam suo modo in corporali elemosyna locum habet, infra dicemus: & ideo etiam non est hoc signum specialis beneuolentiae, & amicitiae, praesertim cum per actum internum, vel occultum fiat, ita ut necesse non sit in alterius notitiam deuenire: quanquam ad totum sit accidentarium, & ad vim excommunicationis non referat. Hic vero inquiri poterat, an possit quis offerre pro excommunicato propriam, & particularem satisfactionem ex opere operato sibi prouenientem ex sacrificio, vel etiam ex Sacramento. Sed haec quaestio locum non habet: quia, ut opinor, hic fructus non potest aliis communicari, ut in propriis locis superiori tomo tractauimus. Si autem ille fructus comunicabilis esset, ex parte censurae id non repugnaret, ut constat ex generalibus principiis positis.

DISPUTATIO X.

De secundo effectu excommunicationis, qui est priuatio passiva communicationis Sacramentorum.

Postquam dictum est de communicatione spirituali quodammodo interna, dicendum est de communicatione externa in rebus sacris, inter quas primum locum habent Sacramenta, quorum duplex potest esse usus, scilicet actiuius, & passius, de quibus singillatim dicendum est. Tria ergo in praesenti videnda sunt: Primum, quid in hoc prohibitum sit ipsi excommunicato. Secundum, quid sit prohibitum ministris Sacramentorum respectu illius. Tertium, qualia sint Sacramenta, si fortasse excommunicato tribuantur.

SECTIO I.

Vtrum grauitur peccet excommunicatus, quodlibet suscipiendo Sacramentum, & quam poenam incurrat.

Excommunicatus locum Sacramenti suscipiendi non habet.

Generalis regula, ac certa est, per se loquendo, & ex genere suo moraliter peccat excommunicatus, quodlibet suscipiendo Sacramentum. Ita docent communiter Doctores in 4. dist. 18. D. Tho. D. Bonau. Rich. Palud. & alij, Argentina dist. 19. art. 4. Soto dist. 22. art. 1. & Summistae ac Doctores

omnes, specialiter videri possunt, Nauarrus cap. 27. Bonaeum num. 18 & Couarruuias in cap. Alma, 1. par. §. 6. nu. 5. Etque in iure expressum in cap. Cum illorum, & cap. Si quem, de Sent. excommun. & in cap. Illud, & capit. Si celebras, de Cleric. excommun. ministr. Et haec est ratio à priori huius culpe; quia hoc non est malum, nisi quia per ipsam censuram prohibitum est. Ratio autem talis prohibitionis est eadem, quae sufficiens fuit ad instituendam talem censuram per modum cuiusdam medicinalis poenae. Item quia ille, qui est inobediens, & contumax Ecclesiae, merito repellitur tanquam indignus à participatione potissimum Ecclesiae bonorum, qualia sunt Sacramenta. Adde, excommunicationem minorem habere hunc effectum, ut infra suo loco dicemus, & ex eisdem iuribus constat: ergo multo magis excommunicatio maior illam habebit; nam includit totum, quod minor, & aliquid addit. Denique ob hunc praecipue effectum post precedentem, de quo in superiori disputatione diximus, anathema dicitur esse omnium poenarum Ecclesiasticarum maxima, & abscindere hominem ab Ecclesia, & eum tradere Satanae, & aeternae mortis damnatio vocatur, in cap. Nemo Episcoporum, 11. qu. 3. quia quodammodo clauditur excommunicato omnes fontes gratiae, qui pro ceteris omnibus in Ecclesia expoliti sunt.

Bonaeum Rich. Palud. Argentina Soto. Nauarr. Couar. Cap. Cum illorum, & c. Si quem, de Sent. excomm. Cuiusmodi, & cap. Si celebras, de Cleric. excomm. min. Ratio huius prohibitionis Ecclesiae.

Atque hinc constat, hanc prohibitionem esse talem, ut eius transgressio ex genere suo peccatum mortale sit, quia materia est grauis, & pertinet ad cultum Sacramentorum. Item hoc est quoddam sacrilegium, ut recte dicunt citati auctores, & Caietanus in Summa, verbo Absolutionis impedimentum, & Nauarrus in cap. Fratres, de Penitent. distinct. 5. numero 38. quia est contra reuerentiam Sacramentorum debitam: sacrilegium autem ex suo genere peccatum mortale est, & materia Sacramentorum grauis est: ergo hoc peccatum non solum ex genere suo, sed etiam ex parte materiae, per se loquendo, & conclusa inaduertentia, vel alio simili impedimento, mortale peccatum est. Quod etiam satis aperte significatur in cap. Sacris, de iis, quae vi meritis causa sunt. Vnde fit, quamuis vnus Sacramenti receptio ceteris paribus, grauius peccatum sit in excommunicato, quam receptio alterius, iuxta inaequalitatem Sacramentorum in dignitate, & excellentia: tamen hoc omnibus commune esse, ut cuiuslibet receptio etiam semel facta, durante excommunicatione, peccatum mortale sit. Ratio est, quia separatio excommunicati ab usu Sacramentorum generalis est, ut constat ex citatis iuribus, & communi omnium interpretatione, & sententia: at vero quodlibet Sacramentum est materia grauis respectu huius praeccepti, & digne, ac sancte tractandum est: ergo quodlibet Sacramentum recipere, siue illud sit matrimonium, siue quodlibet aliud grauius, dum suscipiens excommunicatione innodatus est, peccatum est mortale. Et ita sentiunt omnes citati auctores.

Afferio fuit de iur.

Caiet. Nauarr.

Sed quaerit aliquis primo, de quo excommunicato intelligitur dum hoc fit; an solum denotatio haec in ordi-
tim denunciato, & manifesto percussore clerici: vel etiam de quolibet quantumuis occulto. Respondeo, nullam hic esse adhibendam limitationem ob Extravagantem. Ad eundem: sed quoad hanc partem integrum manere ius antiquum, quia per nouum ius illius Extravagantis nullus fauor fit ipsi excommunicato, ut in eadem dicitur, & supra notauimus: ergo nullus excommunicatus, quantum est ex se, liberatur hoc onere separandi se ab usu Sacramentorum: alioqui magnus fauor, & gratia illi fieret. Item non erat aliud necessarium ad finem illius Extravagantis, neque erat expediens ad timorem, & rigorem censurae conseruandum: nam qui scit se esse excommunicatum, etiam si denunciatus, vel publicus

Num. afferio haec in ordi-
mi excommu-
nunicato
etiam non
denunciato
locum habet.

non fit, facile potest abstinere à Sacramentorum participatione. Neque inde sequitur periculum, vel scandalum, per se loquendo; magisque timebitur censura, si statim ad hoc obliget ipsum excommunicatum, quam si specialis denunciatio expectanda sit: Imo vix posset dici excommunicatus, nisi solo nomine ante denuntiationem, nisi saltem ipse teneretur abstinere: nam, qua ratione non teneretur quo ad hunc effectum, etiam non teneretur quo ad alios: quæ ergo esset talis excommunicatio? Itaque de hac re nulla est controuersia. Dubitationes vero, quæ hinc oriri possunt, in seâ. sequente dissoluentur.

Possit ne in aliquo casu excommunicatus sacramenta recipere.

Alia vero interrogatio ex hac resolutione nascitur, scilicet, an in aliquo casu possit excommunicatus, præsertim occultus, excusari à peccato. Hæc vero quæstio resoluta est supra tractando de censuris in communi. Duplitter enim potest excusari ab hac culpa excommunicatus, primo per ignorantiam probabilem, seu inuincibilem, quæ excusatio generalis est omnibus delictis. Potest autem hæc ignorantia in presenti esse, vel facti, quæ frequentior, & excusabilior est, & ideo facilius in iure admittitur, vt patet ex cap. Si vero. 2. de Sent. excommunic. Vel etiam iuris, quia, cum hoc ius positium sit, & humanum, vt supra ostendimus, etiam potest interdum inuincibiliter ignorari. Quo modo autem coniectari possit an talis ignorantia inuincibilis sit, & quid etiam in casu dubii agendum sit, ex dictis supra de censuris in communi sumendum est. Alter casus, in quo potest quispiam excusari, est vrgens necessitas, quæ potest esse, vel ob vitandam grauem infamiam, vel scandalum, vel mortis periculum, etiam extrinsecus illatum, de quibus fuit dictum in loco citato. Potest etiam hæc necessitas interdum esse spiritualis propter eminentem mortis articulum, vt explicabimus commodius seâ. sequente.

An excommunicatus recipiens aliquod sacramentum, poenam incurrat.

Vltimo queri potest, an excommunicatus recipiens aliquod sacramentum, poenam aliquam, vel censuram, aut inhabilitatem Ecclesiasticam ipso iure incurrat. Ad quod breuiter dicendum est, generatim nullam esse impositam, solo excepto Ordinis sacramento. Priorem partem tradit Innocentius c. 1. de Sent. excomm. in 6. & alii quos refert & sequitur Vgolinus Tab. 1. c. 14. num. 22. Et sufficienter probatur, quia nullum inuenitur ius, quod hanc poenam, censuram, vel irregularitatem propter hoc delictum imponat. Quod clarius constabit ex his, quæ de censuris omnibus, & irregularitatibus in particulari dicemus. Quin potius non solum poena ipso iure lata, sed nec ferenda per sententiam iudicis inuenitur taxata ac definita per aliquam canonicam legem: arbitrio ergo iudicis erit puniendum, si sufficienter probetur. Dices, Excommunicatus ministrans ex officio sacramentum, habet poenam ipso iure impositam, scilicet irregularitatem, vt suo loco videbimus, ergo & recipiens. Negatur consequentia, quia ius non posuit illam in vtroque casu, & per similitudinem non fit extensio in pœnis, iuxta veritatem legum interpretationem. Imo nec vltra proprietatem verborum extensio facienda est, & ideo licet imponat poenam excommunicato celebranti, capit. Latorem, cap. vii. de Cleric. Excomm. minist. non incurrit illam excommunicatus recipiens Eucharistiam more laicorum, quia recipere non est celebrare. Præterquam quod nec ratio est similis, tum quia celebrare & simile ex suo genere est altius ministerium, tum etiam quia ministri Ecclesiæ quatenus tales sunt, violando excommunicationem, grauissimam contumaciam committunt, propter quam suo ordine & ministerio indigni censentur. Exceptio autem de sacramento Ordinis addita est, quia excommunicatus ordinem suscipiens, suspensus manet, vt nunc suppono ex infra dicendis in pro-

pria materia. Illud autem speciale est, quia de illo tantum sacramento hoc decernunt iura, nec sunt extendenda, vt dixi, præsertim quia in illo sacramento potuit considerari specialis deformitas, eo quod per illud sacramentum ministri Ecclesiæ constituntur: quibus clauis commitrendæ sunt, & ideo qui in contemptum illarum ordinantur, merito illa speciali poena afficiuntur.

SECTIO II.

Virum ministri Ecclesiæ peccent, dando sacramentum aliquod excommunicato, & quam poenam incurrant.

HÆC quæstio specialem difficultatem habet post nouum ius Concilii Constantiensis in Extraua. Ad euitanda: Et ideo distinguendi sunt duo ordines excommunicatorum. Vnus est eorum, qui nominatim declarati sunt, vel sunt manifesti percussores clericum: alius cæteros omnes continet, & hic breuitatis causa priores appellabimus, euitandos, posteriores, non euitandos. Præterea distinguere oportet duplex principium, ob quod illicitum esse potest dare sacramentum excommunicato. Vnum est ipsa censura, cui opponitur omnis communicatio cum excommunicato, præsertim in sacris, nam ministrare illis sacramentum quædam communicatio est. Aliud esse potest ipsummet sacramentum, & sanctitas eius, ac officium dispensandi illud quod obligat, vt sancte dispensetur, & consequenter non nisi dignis, & dispositis conferatur.

Ministros Ecclesiæ teneri vitare excommunicatos denunciatos in administratione sacramentorum.

Dico ergo primo, Ministri Ecclesiæ ex vi Ecclesiæ censure, tenentur vitare in administratione sacramentorum omnem excommunicatum vitandum iuxta prædictam Extrauagantem, & grauius peccant, quodcumque sacramentum illi dando. Hæc est certa, & communis sententia. Et fundamentum est, quia quo ad hos excommunicatos nihil innotuatum est per illam Extrauagantem, ut euitandum, vt ex tenore illius constet: sed iure antiquo tenebantur ministri sacramentorum non ræbrepe sacramenta excommunicatis, vt constat ex multis decretis n. qu. 3. & c. Episcoporum, de priuilegiis in sexto, & ex capit. Significauit, & c. Cum desideres, de Sent. excomm. & aliis, quæ generatim communicationem prohibent cum excommunicato, & præcipue in rebus sacris. Vnde manifestum est, hoc peccatum ex genere suo mortale esse; nec posse huiusmodi actum à culpa excusari, si ex parte ministrantis sacramentum voluntarie fiat, & ex parte recipientis nulla sit necessitas, vel grauis causa, quæ illum excuset, quia si hæc duo concurrant, prohibitio integra manet, & vrget, & materia in quolibet sacramento per se sumpta grauis est.

Ex illo autem duplici capite oriri potest excusatio huius delicti. Ex priori quidem, quia nullum peccatum est, nisi sit voluntarium. Potest autem hic esse actus inuoluntarius, & ex ignorantia probabili, & ob vim, aut metum grauem cadentem in constantem virum, iuxta superius dicta de censuris in communi. Sicut enim ibi diximus ex hoc duplici capite excusare posse aliquem, ne censuram incurrat, aut ne contra ipsam censuram culpabiliter agere videatur ita hic dicendum est de hoc speciali actu administrandi sacramenta excommunicato: nam est eadem ratio, & eisdem regulis & modis explicanda est hæc

Excommunicatus sacramenta ministrare est mortale peccatum nulla inferuntur relaxatio

hæc excusatio. Quæ quidem quantum ad ignorantiam non habet difficultatem ullam præter eam, quæ posita est in examinando, quando talis ignorantia inuincibilis sit. Quod vero spectat ad violentiam, ex eo potest difficultatem parere, quod dare sacramentum excommunicato, quando ille peccat recipiendo, intrinsece malum videtur. Dicendum vero est, nos nunc non agere de peccato, quod intertenire hic potest contra ius naturale & diuinum, sed solum quatenus est contra Ecclesiasticam prohibitionem: quam cessare dicimus, ubi sufficiens violentia intercedit: quia quoad hoc eadem est ratio de hoc præcepto Ecclesiastico, & de aliis, in quorum transgressione non interuenit cōtempus fidei, aut religionis, seu ipsius censuræ, vel potestatis Ecclesiasticæ. Quod enim cum illa positua obligatione cōiuncta sit illa naturalis ex dignitate, seu natura ipsius sacramenti orta, non obstat quominus positua obligatio intra suos limites maneat, & cum tãto dispendio non obliget. Vnde probabiliter colligo eum qui grati meru coactus Eucharistiam, v. g. præbet excommunicato, non incurrere censuram, si quæ sunt illis impositæ, qui cum excommunicatis in facris communicant: quia illæ sunt annexæ Ecclesiasticæ prohibitioni: ergo, qui contra illam nō peccat, licet ex alio ca. peccet, nec dici potest contumax Ecclesiæ nec censuram incurrat. Quod aliis exemplis confirmari posset, sed ne inutiliter ea repetamus, explicando excommunicationis iure latas ea declarabimus. Solum potest obici ca. Sacris, de iis, quæ vi sed illud expositum est disp. 7. de censuris in communi.

Rursus excusabitur a peccato ministrans sacramentum excommunicato, quoties ille excusatur recipiendo illud, quia hæc prohibitio magis directe cadit in excommunicatum, quam in alios: ergo, si ille excusatur in recipiendo, alii etiam excusabuntur in dando. Item, quia, si excommunicatus non peccat in tali casu recipiendo sacramentum, non peccabit petendo, & inducendo alium, vt detrimo habet, per se loquendo ius petendi: ergo alter non peccabit dando: imo poterit etiam teneri vel ex officio, si sit pastor, vel ex charitate pro ratione necessitatis, potest autem, vt supra dixi, excusari recipiens, vel ob ignorantiam, vel ob necessitatem.

Et in utroque casu est nonnulla difficultas, de ignorantia quidem, quia, licet alter ignoret inuincibiliter suam censuram seu illius oblitus sit, alter, si nouit censuram, non debet ei administrare sacramentum sed admonere illum sui status, quia illa actio, & receptio, per se est mala, & vtrique prohibita, & ignorantia vnius non reddit alteri ignorantem, vt eum excuset. Ad hoc vero in primis dicendum est, in casu, in quo nunc versamur iuxta Extrāgātem Ad euitanda, vix posse moraliter accidere hanc excusationem per ignorantiam ipsius excommunicati, quia si sit ignorantia iuris, id est, quod quis ignoret se non teneri ad vitandam susceptionem sacramentorum, etiam si excommunicatus sit, talis ignorantia non est præsumenda probabilis, neque debet quisquam, contra ius sibi impositum operari propter talem ignorantiam alterius, sed potius debet admonere illum, & docere, vt ius vtrique impositum seruetur. Ignorantia vero facti vix in hoc casu interuenire potest, cum tractemus de publice excommunicato, seu denunciato, nam de cæteris excommunicatis non est obligatio vitandi illos: vnde, si contingat eos suam censuram ignorare, nihil obstat quominus licitum esse possit eis dare sacramenta, vt statim dicemus. Quia vero excogitari potest casus, in quo vel percussor clerici sui facti oblitus sit, iuxta cap. Cum illorum, de Sentēt. excommunicat. vel putet se esse absolutum, cum non sit: aut etiam accidere potest, vt quispiam sit publice declaratus in Ecclesia, vel per scriptum in plateis positus & ipse nesciat, ideo addo in talibus etiam casibus

A nunquam esse præsumendam ignorantiam inuincibilem, sed admonendum excommunicatum, vt maiorem diligentiam adhibeat, aut rem ipsam, ei proponendo si de illa alteri conslet. Addo præterea etiam si ignorantia, obliuio, vel inconsideratio esset inuincibilis, propter eam solum nō statim licere sacramentum dare excommunicato ex tali ignorantia petenti, quia obligatio vitandi illum est per se: illa vero excusatio est valde extrinseca, & per accidens: & (quod caput est) potest facile auferri, si is, qui ignorat, de rei veritate illuminetur. Quod in præsentī casu potius fieri debet, quam dari illi sacramentum, quia non tantum agitur de eius obligatione, sed etiam de illa, quam ipse minister habet ad seruandam Ecclesiasticam censuram. Atque in hunc modum explicanda, vel limitanda est regula posita, vt scilicet intelligatur, quando excusatio ipsius excommunicati petentis sacramentum talis est, vt reddat licitam voluntariam susceptionem sacramenti in tali statu excommunicationis: vel aliter nili sit talis excusatio, quæ alio remedio possit facile auferri.

Vnde circa aliam causam excusationis, quæ est necessitas, minor est difficultas, nam hæc causa quodammodo cōmunis est ministranti, hoc ipso quod in recipiente, vel petente inuenitur: eadem enim occasio, quæ excommunicatū constituit in tali necessitate petendi sacramentum, vt eum a culpa excuset, constituit etiam ministrum in sufficiente dādi necessitate, vel vt alteri reddat ius suum, si ex officio id debeat, vel vt subueniat proximo in tali necessitate constituto. Et nihilominus semper subintelligendum est, quando aliter subuenire non potest: nam si ipse minister possit prius tollere censuram, quam det sacramentum, id omnino facere debet, quia tunc licet sit necessitas recipiendi sacramentum, nulla tamen est recipiendi illud ante absolutionem. Et, quamuis fortasse recipiens ob necessitate possit illud ita recipere, si alter nolit aliter dare, ipse tamen sic dans, grauiter peccat: quia sine necessitate id facit, & excusatio alterius solum ex malitia ministri proueniret.

Ex quo cessat vulgare dubium, quod hic peti solet, si contingat excommunicatum tam esse mortis vicinum, vt non possit prius ab excommunicatione absolui, quam a peccato, an possit licite prius a peccato absolui. In quo casu dixit Medina tractatu secundo de Confessio. quæst. de Confess. ab excommunicato facta in fine, absolendum prius esse a peccatis, quia necessitas excusat. Quod esset quidem verum, si dari posset necessitas ita absolui, seu cum illo ordine, re tamen vera nulla esse potest necessitas sic absolui: quia quilibet sacerdos, sicut potest absolui ab omni vinculo excommunicationis. Et vtraque potestate eisdem verbis vt potest vt supra dixi, dicendo, Ego te absoluo: cum intentione absolui a censura, & a peccatis: & tunc simul tempore vtraque tollit, prius tamen naturā ipsam censuram. Ob maiorem vero certitudinem addere potest, Ab omnibus censuris, & peccatis tuis: quid certissimum est illa sola verba; Ego te absoluo, esse essentialia, & sufficientia ad absolutionem sacramentalem: quod non est ita certum de absolutione a censura: & ideo in illo modo absolui potest esse fructus, & nihil est periculi: quia, licet infirmus moriatur, antequam proferantur illa verba, Et ab omnibus peccatis tuis, absolutio sacramentalis erit valida: quod nō ita erit certum de censura; si non aliquo modo exprimitur. Restat ergo illo modo fiet talis absolutio, quia absolutio censura semper præcedere debet, vel natura, vel tempore, quantum necessitas permiserit.

6
Explicatur
regula in
excusatione
ob necessitate.

7
Posse ne in
mortis articulo quis prius a peccatis absolui, quam a censura, Medina.

Incurratne aliquam poenam aut censuram, qui sacramenta excommunicato ministrat.

Prima Conclusio.

Vltimo inquiri potest circa hanc conclusionem quas poenas vel censuras ipso iure incurrat ministrans sacramenta excommunicato, sed non inuenio specialem poenam latam propter hunc modum communicationis, præter eam quæ generaliter lata est propter communicationem in sacris cum excommunicato, quæ solum est excommunicatio minor; de qua infra dicitur & interdictum ab ingressu Ecclesiæ, quod ipso iure imponitur eis, qui excommunicatos ad Ecclesiastica sacramenta admittunt in c. *Episcoporum*, de Priuil. in 6. In ca. autem *Excommunicamus*, primo de Hæreticis, §. *Credentes*, præcipitur, vt clerici, qui sacramenta Ecclesiastica exhibent, huiusmodi pestilentibus (id est fautoribus hæreticorum, qui excommunicati sunt) suo priuentur officio, ad quod sine Apostolico indulto non restituantur. Illa tamen poena nec iure ipso imponitur, sed imponenda mandat, nec extendenda est ad omnes administrantes sacramenta excommunicatis: quia specialiter fertur in odium hæresis, & fauctorem eius. Neque etiam nunc procedit de omnibus fautoribus, sed de illis, qui nominatim sunt denunciati. Circa quam poenam videri potest Bernar. Diaz in practica canon. crim. c. 15.

*Ca signifi-
cans, de
Sent. excom.
ponitur.*

Denique in c. *Significauit*, de Sentent. excommunicat. ait Pontifex, eos, qui participauerunt cum excommunicatis ab ipso, & ipsos in officiis receperunt, eandem excommunicationem incurrisse. Quod non potest exponi de excommunicatione minori, quia ibidem Papa reseruat sibi absolutionem illius censuræ. Vnde interpretes ibi circa decisionem illius textus plurimum laborant, quia in iure non est lata excommunicatio maior in eos, qui cum excommunicato communicant: ibi autem non conditur novum ius, sed iuxta antiquum respondetur, quid de facto iam præterito sentiendum esset, vt ibi notant Panormitanus, in fine & alij. Quod si quis respondeat cum Glossa ibi, & Nauarro in Manuali capitul. vigesimo septimo, n. 30 excommunicationem, quæ lata fuerat à Pontifice, vt ibi refertur, non fuisse simplicem, sed quæ participantes etiam ligaret: gravis dictum videbitur, quia nec in textu fundamentum habet: nec verisimile videtur, quia, si ipsa excommunicatio ita lata fuisset, nullus esset relictus locus dubitationi, & consultationi. Verus ergo sensus illius textus est, quem Panormitanus sequitur, & dicit esse communem, scilicet, vt illa sit specialis poena lata contra clericos scienter, & sponte violantes excommunicationem, latam à Papa, participando cum excommunicatis in diuinis officiis; ita vt ad illam poenam incurrendam quinque conditiones requirantur, vt notauit etiam Glossa in capit. *Statuimus*, de Sentent. excommunicat. in sexto, verb. *Constitutionibus*. Prima, quod excommunicatio sit Papalis: secunda, quod participatio sit recipiendo excommunicatum in officiis: tertia, quod participans sit clericus, quarta, & quinta, quod scienter, & sponte id faciat; omnia enim hæc expresse continentur in textu, & cum materia sit odiosa, secundum omnes circumstantias restringenda est. Quod adeo verum esse credo, vt nimis rigorosam existimem illam legem, etiam sic expositam: nam ex ea sequitur clericum communicantem dicto modo cum quolibet excommunicato à Papa quoniam modo esse excommunicatum excommunicatione Papæ reseruata, quod inauditum videtur, & præter omnem usum. Vnde restringenda erit amplius illa lex ad excommunicationes Papales, vel ab homine, & specialiter latas, nam totum hoc in verbis habet fundamentum, vt saltem ad

*Panor.
Glossa.
Kardani.*

excommunicatos à Papa à iure, vel ab homine, nominatim tamen declaratos, aut denunciatos: ita interpretatur Caietanus in Summa verbo *Excommunicatio*, capitulo quinquagesimo octauo, dicitque consuetudinem ita fuisse interpretatam ius illud, quod alias nimis rigorosum fuisset. Et addere possumus, hoc maxime confirmatum esse per Extrauagantem, *Ad euitanda*. De qua re plura videri possunt apud Adrianum quodlib. sexto, Antoninū tertia parte, titulo vigesimo quarto, capitulo trigesimo secundo, Syluestrum verbo, *Excommunicatio*, septimo, casu sexto.

Caiet.

Adrian.

Secunda Conclusio.

Dico secundo, Ex vi censuræ excommunic. nis non prohibentur nunc ministri sacramentorum ea tribuere excommunicatis occultis seu non vitandis: si tamen id faciant, scilicet peccabunt contra ius diuinum ac naturale: inter dum vero etiam ab hac culpa excusabuntur. Prima pars communis est, & constat ex dicta Extrauag. *Ad vitandum*, vbi expressa mentio fit de sacramentorum administratione. Cum ergo illa solum esset prohibitio Ecclesiastica, & ipsa Ecclesia eam merito abstulerit, propter rationes quæ in eadem Extrauagante attinguntur, cumque ostensum sit illam Extrauagantem receptam esse, & ab Ecclesia seruari, nulla in hoc relinquitur dubitandi ratio. Ex quo sequitur, sacerdotem dantem sacramentum excommunicato non vitando, etiam si alioqui peccet, nullam incurere poenam siue censuram ab Ecclesia impositam iis, qui excommun. sacramenta ministrant: quia, sicut hæc prohibitio iam non comprehendit huiusmodi casum, ita nec poena in illo imposita ad illum extenditur.

*10
Ministri
sacramen-
torum non
prohibentur
ab Ecclesia
ministrare oc-
cultis excom.*

Dices, Ecclesia non abstulit his excommunicatis obligationem abstinendi à sacramentorum susceptione; ergo nec potuit aut ferre ministris obligationem non dandi. Patet consequentia, quia illa duo correlatiua sunt: ergo, si vnum prohibetur, & alterum prohiberi necesse est, quia, sicut correlatiua sunt simul in existentia, ita & quoad prohibitionem, cum vnum fieri non possit, quin aliud consequenter fiat. Vnde, si emptio alicuius rei alicui interdicta est, consequenter alius interdicetur, ne illam eidem vendat, argumento Leg. prim. C. de Cupressis libro vndecimo, vbi Bartholus, & latius Additio ad illum. Respondetur, ex vi prohibitionis actionis formaliter ac præcise loquendo non prohiberi receptionem, neque è conuerso, Mihi enim religioso prohibitum est recipere aliquid absque licentia prælati: alteri autem non est prohibitum dare. Et ratio est, quia cum personæ sint diuersæ, potest vni prohibitio imponi, & non alteri: quod maxime verum est de prohibitione humana. Itaque vt prohibitio extendatur ad vtrumque extremum, oportet, vt vel in ipsa lege formaliter exprimantur, sicut fit in dicta Leg. prima de Cupressis, vel vt res ipsæ, seu actiones ita sint connexæ, vt non possint quoad honestatem, vel turpitudinem separari; tunc enim quasi per extensionem ex prohibitione vnius inferri potest prohibitio alterius: quæ consecutio solum tenebit, quantum ad id, in quo fuerint connexa. In presenti ergo non solum non fit in ipsa lege formalis extensio, verum potius fit expressa limitatio ad recipientem, & excluditur ministrans: connexio vero non est semper necessaria, & quando inuenitur, prouenit ex alia lege, ad quam pertinebit tunc ista prohibitio, quatenus in ministrantem cadit, vt iam explicabimus.

*11
Obiectio.*

*Bartholus.
Solutio.*

Secunda ergo pars assertionis fundatur in illo principio iuris diuini connaturalis ipsis sacramentis, quod ministri sacramentorum tenentur illa non præbere indigne petentibus, de quo dictum est tertio

*12
Sape minis-
trum peccat
re, sacramen-
to*

SECTIO III.

Vtrum, Sacramenta ab excommunicato recepta, va-
ra, & valida sint.



Questio hæc intelligi potest de valore sa-
cramenti, aut quantum ad esse, seu
substantiam eius, aut quantum ad v-
sum seu executionem, si aliquem actum
aut munus coniunctum habeat. Rursus
questio hæc specialem difficultatem habet in sacra-
mento poenitentiae: in baptismo autem locum non
habet, quia ante baptismum nullus potest esse ex-
communicatus: in cæteris vero eandem omnino
solutionem habet, & facillime expediri potest. Nam
in primis certum est illa quinque sacramenta exco-
municatis data valida esse quantum ad substantiam
eorum. Et de Eucharistia quidem nulla est questio,
quia est sacramentum permanens. De cæteris autem
patet, quia si applicetur debita materia, & forma v-
niuscuiusque cū debita intentione ministrari, & susci-
pientis, necessario perficitur sacramentum; neque
potest Ecclesia per censuram illud impedire, quia
censura non reddit personam incapacem, neque im-
pedit aliquid quod ad substantiam sacramenti per-
tineat. Et ita hæc veritas supponitur in omnibus iu-
ribus, quæ de hac materia loquuntur, & est constas
apud omnes Doctores sententia. Quamquam de Ex-
trema vnctione aliquam limitationem nonnulli ad-
hibeant, quam examinabo disp. seq. sect. 2.

Ex quo fit, ut illa duo sacramenta, quæ ex prædi-
ctis quinque characterem imprimunt, scilicet, Or-
do, & Confirmatio necessario habeant hunc effectum
in excommunicato, quomodoque illa recipiat,
id est, siue peccet, siue non illa recipiendo. Probat,
quod a hic effectus non pendet ex dispositione recipi-
entis, sed necessario coniunctus est cum valore, &
substantia sacramenti. Ob hanc enim causam talia
sacramenta iterari non possunt, quantumvis indi-
gna à peccatore, aut excommunicato, vel præci-
so recipiantur, dummodo, quæ ad substantiam ne-
cessaria sunt, recte applicentur. Et in hoc etiam nulla
est dissensio inter auctores. Quomodo autem intel-
ligendi sint quidam textus, qui ordinem hæc receptum
interdum irritum vocant, partim constat ex dictis
sect. 1. huius disputationis, partim dicetur in seq. &
videri etiam possunt, quæ de sacramento Confir-
mationis in simili quæst. dixi in 3. tom. disp. 36. sect.
3. De effectu vero gratiæ regula generalis est; si exco-
municatus recipiat sacramentum absque culpa, seu
cum iusta excusatione, recipere etiam effectum eius
quia tunc non ponit obicem: sacramenta autem om-
nia fallibiliter conferunt gratiam non poeniten-
tibus obicem, nec potest Ecclesia per censuram hoc
impedire, cum in diuina promissione nitatur. At
vero, si excommunicatus peccat mortaliter susci-
piendo sacramentum, iam ponit obicem, & ideo effec-
tum gratiæ non recipit. An vero, recedente fictione
postea conferatur, questio generalis est de omnibus
indigne suscipientibus, quæ nullam hic habet speci-
alem rationem.

Excommunicatus sacramentum recipiens, non est
suspensus ab usu eius sub aliqua pœna Ecclē-
siastica, excepto Ordine.

Denique vltimus punctus de usu, seu executio-
ne, non habet locum, nisi in sacramento Ordinis:
nam Sacramentum Eucharistiæ, vel Confirmatio-
nis, aut extremæ vnctionis non habent proprie
aliquem subsequenter usum, nisi quis fortasse vo-
cet usum Confirmationis fortem fidei confessio-
nem coram tyranno, vel extremæ vnctionis con-
stanter resistere tentationibus demonis in articulo
mortis, qui non tam est usus sacramenti, quam ef-
fectus auxilij, vel gratiæ, quæ propter sacramen-
tum

tio modo disput. decima octaua, sectione secunda. A
Et illud amplius explicui disput. septuagesima se-
cunda, sectione tertia, & quarta. Sed in præsentia
casu excommunicatus non vitandus indigne petiti sa-
cramentum, quia peccat mortaliter, si illud suscipi-
at, ut supra ostensum est: ergo & sacerdotes mini-
strando peccabunt. Et iuxta hanc declarationem in-
telligendi sunt auctores, qui dicunt, etiam nunc pro-
hibitum esse ministris sacramentorum dare illa hu-
iusmodi excommunicatis, ut tenet Adrianus mate-
ria de Clauibus, quæstione tertia, & Conarruias in
capite, Alma. Prima part. §. secundo, numero vnde-
cimo in fine, & alii. Dices, Ergo nullus fauor redun-
dat ex illa concessione ad Ecclesiæ ministros, si in re
manet semper eadem prohibitio, quamuis ex alio
capite. Respondetur in primis, magnum fuisse
fauorem, quod ipsa Ecclesia suam prohibitionem
abstulerit: naturalem enim aufere non poterat: ne-
que etiam debuit ob eam causam excommunicato
fauere, ab illo prohibitionem auferendo, tum quia
hoc fuisset magnum detrimentum Ecclesiasticæ
discipline: tum etiam, quia semper manet in mini-
stro obligatio inspicendi, an excommunicatus digne
petat. Vnde secundo dicitur, ablata ab ipsis mi-
nistris prohibitione directa ipsius Ecclesiæ, facilius
posse sacramenta præbere excommunicato quam
antea poterant: quia nunc facile possunt eis fidem
adhibere, si dicant se esse absolutos: imo hoc ipso
quod petunt, verbi gratia, Eucharistiam, possunt
id præsumere, nisi oppositum euidenter constet, vel
sequatur scandalum, vel aliquid simile obster. Si-
cut enim, licet mihi euidenter constet aliquem heri
peccasse mortaliter, & hodie videam illum ad cele-
brandum, vel communicandum accedere, debeo
præsumere digne accedere, & iam esse à suo pec-
cato absolutum, ita omnino est in excommuni-
cato occulto, seu non vitando: quia solum teneor
non dare illi sacramentum, in quantum indigne
petit, & ideo facile possunt præsumere, & credere
causam indignitatis esse ablatam: quod secus est in
aliis excommunicatis: nam oportet, ut de eorum
absolutione aliquo modo constet, ut infra vide-
bimus.

Atque hinc facile patet tertia conclusionis pars,
nam in primis, quoties excommunicatus, non ob-
stante censura, non peccat petendo sacramentum,
neque alter peccabit ministrando: quia tota ratio
prohibitionis eius oriebatur ex indigna petitione.
Deinde, si ex negatione sacramenti sequatur scan-
dalum, propter quod vitandum licitum esset dare
sacramentum peccatori indigne petenti, propter
illud vitandum, licitum etiam erit dare huiusmodi
excommunicato petenti: quia ex huiusmodi cen-
sura, nulla noua oritur obligatio, ut dictum est. Hic
vero inquiri potest dubium, quod attigit Adrianus
q. 3. de Baptismo, ad sextum in fine, an propter vitan-
dum scandalum ipsiusmet excommunicati liceat
ei petenti dare sacramentum: Videlicet, quia, si ei
denegetur, deterior fiet, & magis contumax, ve-
liet hereticus. Quod dubium ipse indecisum re-
liquit, quia illa non videtur esse cooperatio, sed per-
missio minoris mali. Mihi tamen videtur id non esse
licitum, quia illud non est scandalum actuum, sed
passiuum tantum, & ex pura malitia. Hoc autem se-
cus esset, si excommunicatus occulto publice peten-
ti sacramentum, illud denegarem: & ideo circa hoc
seruanda est generalis regula iuris, ut publice peten-
ti sacramenta denegentur, si publice excommuni-
catus sit, non vero si occulte tantum sit excommu-
nicatus: nam tunc solum denegabuntur, si sero
petat, dummodo de ipsa censura satis constet.

cap. Cum non ab homine, de Sent. excomm.
& cap. Si sacerdotes, de Officio ordi-
narii, & late dictum est in
dicta disp. 72.

Sacramenta
omnia, reci-
pta pœna cen-
suræ, excommu-
nicatis data valida
esse quo ad
substantiam

Ordo, &
Confirmatio
sunt ab ex-
communi. reci-
piantur, si-
um effectum
habent in-
primis

Excommu-
nicatus sa-
cramentum
cum iusta
excusatione
recipiens gra-
tiam etiam
recipit.

In matrimo-
nio probatur

tum datur. Vnde ad hunc vsum nullum speciale impedimentum ponitur per Ecclesiam ex vi censuræ, sed in tantum ab ipso met suscipiente poni potest, in quantum per suam prauam dispositionem gratiam sacramenti potest impedire. In matrimonio vero post susceptum sacramentum, seu contractum vinculum, superest vsum ipsius matrimonii: ille autem, si philosophice tantum, seu moraliter consideretur, potius est vsum matrimonii, vt est quidam contractus, quam vt est sacramentum: si autem spectetur quatenus sub aliquo respectu, & rectitudine supernaturali fieri potest, sic dici potest effectus sacramenti, per auxilium gratiæ, quod propter dictam honestatem confert: & ideo non aliter impeditur, quam alia gratiæ sacramentalis: scilicet per malitiam, vel indispositionem susipientis, non vero ex peculiari censura, aut Ecclesiæ suspensione, supposita susceptione validi sacramenti. Absolute igitur loquendo, excommunicatus, qui matrimonium contraxit, non est suspensus ab vso matrimonij speciali aliqua pena, vel censura, quæ illi imposita sit ob delictum commissum in tali susceptione sacramenti.

4
Excomm. nō
deberi in Ec-
clesiā solen-
nē benedicti-
onē recipere.
Cap. Signifi-
casti, de eo
qui dux in
matr. quam
pol.

Couarr.
Nauarr.

Conc. Trid.

5
Excommuni-
catus non est
prohibitus v-
sus matrimo-
nij tā quoad
cohabitatio-
nē, neque
quoad red-
dendū, aut
petendū debi-
tū.
Anton.

6
Excomm. est
suspensio ab
vso ordi-
num

4 Duobus autem modis intelligi potest esse illi interdicitus talis vsum, ita vt licite non fiat. Vnus est, quia ille, qui sic contraxit, non potest solennem benedictionem in Ecclesia recipere, nisi prius absoluitur, nam, licet illud matrimonium sit validum, vt est certissimum, & aperte traditur in cap. Significasti, de eo qui dux in matr. quam pol. per adul. nihilominus tamen non debet, quasi solenniter approbati ab Ecclesia per publicam benedictionem, quamdiu excommunicationis vinculum perseverat. Prefertim, cum illa benedictio communicatio quedam spiritualis sit, & veluti quoddam Ecclesiæ suffragium: quibus bonis priuatus est excommunicatus. In quo etiam conueniunt Doctores in dicto cap. Significasti, & Summistæ verb. Excommunicatio, Couarr. c. Alma, p. 1. §. 6. & Nauarr. in c. Consideret, §. Cautus, de Pœnit. dict. 5. Quatenus ergo coniuges ante benedictionem solennem in Ecclesia susceptam copulari non debent; eatenus per excommunicationem duranter impediri potest vsum matrimonij. Non erit autem maius peccatum vti matrimonio sine absolutione à censura, quam sine solenni benedictione: quod, per se loquendo, ac secluso scandalo, mortale non est, quantum colligi potest ex Concilio Trid. sess. 24. c. 1. de reformat. matrimonij, & suo loco satis dicemus.

5 Alter modus impediedi hunc vsum intelligi potest, quatenus ille vsum, quædam humana communicatio est, quæ generatur prohibita est per excommunicationem. Veruntamen hoc impedimentum si quod esset, ita induceretur per excommunicationem superuenientem matrimonio iam contracto, quam per antecedentem, seu existentem, quando contrahitur; & ideo inferius dicendum est de illo simul cum aliis. Veritas enim est excommunicationem non impedire hunc vsum, neque quoad cohabitationem, neque quoad reddendum, vel petendum debitum, vt breuiter attigit Antoninus tractatu de Excom. c. 76. n. 22. & infra latius dicetur.

6 Superest ergo, vt in solo sacramento Ordinis hoc inueniatur, vt excommunicatus illud suscipiens, executionem eius, vel vsum non recipiat, ita vt licite illum præstet: sic enim intelligendum hoc est. Nā illud sacramentum proprium habet ministerium Ecclesiasticum, ad quod ordinatur, illud ergo per Ecclesiam ei prohibetur, qui excommunicatus ordinem recipit, vt ex variis iuribus probauimus in sect. 1. Quæ supponunt tale sacramentum validum esse: & declarant, quia, quæ interdum significant talē ordinationem esse irritam, vt nimirum intelligantur quoad executionem, quantum ab Ecclesia impediri potest, non quantum ad substantiam & va-

lorem sacramenti. Cuius etiam signum manifestū est, quia eadem iura disponūt, vt post peractam pœnitentiam, & obtentam ab Ecclesia dispensationem possint in susceptis ordinibus ministrare, vt videre licet in iuribus citatis sect. 1. ergo semper supponunt ordinem esse validum: suspendi autem ab Ecclesia quoad executionem. In his autem sacramentis, de quibus nunc agimus, hæc suspensio executionis solum esse potest prohibens illam, ne licite fiat, non tamen irritans, de qua re in materia de Suspensione latius dicemus.

Num sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato receptum cum vera excusatione validum sit.

DE Sacramento vero pœnitentiæ est peculiaris difficultas, an susceptum ab excommunicato validum sit, vel irritum ex vi ipsius censuræ. Vt autem ad punctum quæstionis deueniamus, suppono peccatum mortale commissum in ipsamet confessione, & susceptione talis sacramenti, esse contra substantiam eius, illudque irritum reddere; quod est singulare in hoc sacramento, vt supra proprio loco ostensum est ex eo, quod materia essentialis huius sacramenti est integra peccatorum confessio, & contritio: quam impedit, ac destruit actuale peccatum mortale in ipsa confessione commissum. Igitur, si excommunicatus confitendo, & recipiendo absolutionem, actu peccat mortaliter, mihi certum est tunc non fieri sacramentum ex illo capite; quod commune est aliis peccatis mortalibus, quamuis in præsentia casu tale peccatum committatur occasione censuræ, qui est quidam concursus solum per accidens. Vt ergo per se, ac proprie quæstio procedat, supponendum est nullum interuenire peccatum mortale ex parte excommunicati susipientis sacramentum pœnitentiæ ante absolutionem censuræ siue excusatio proueniat ex ignorantia, siue ex alia necessitate recipiendi tale sacramentum, coniuncta cum impotentia, vel malitia ministri.

In illo ergo casu prima sententia affirmat talem confessionem irritam esse tenet Syluester verb. Confessio, 1. quæst. 3. casu 5. & verb. Confessor, 3. num. 12. vbi plures refert, & dicit communi consuetudine ita obseruari. Paludanus in 4. dist. 17. q. 6. art. 1. concl. 2. non solum de maiori, sed etiam de minori excommunicato docet. Idem Maior ibiq. 6. in fine, Gabr. quæst. 1. art. 3. dub. 2. & Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 9. §. 4. Soto d. 22. quæst. 1. art. 1. in fine, indicat Adrianus materia de Matrimonio, qu. 1. art. 1. Ledesma 2. part. 4. q. 23. art. 1. licet sibi non constet. Fundamentum esse potest, quia excom. est præcisus ab Ecclesia: ergo, quamdiu talis est, non potest per Ecclesiam de suis peccatis iudicari vel absolui: nam, De his, qui feru sunt, nihil ad nos. Secundo, quia Ecclesia separat excommunicatum à susceptione sacramentorum, quantum potest, nam vult haberi tanquam Ethnicum, & Publicanum: & propterea excommunicatio maxima pena censetur ab Augustino: sed Ecclesia potest ita separare excommunicatum à sacramentis, vt attentata suscriptio sit irrita: sicut potuit irritare sacramentum matrimonij inter consanguineos: ergo ita fecit. Tercio, quia in excommunicatione minori id fecisse videtur: ergo multo magis in maiori. Antecedens patet ex c. vlt. de cleric. excomm. ministr. vbi dicitur sacramenta collata ab excommunicato minori excommunicatione, virtutes non carere effectibus, quia non à collatione, sed à receptione sacramentorum est remotus: ergo insinuat quod si attente recipere, receptio est nulla. Quarto ibidem dicitur, electionem, seu collationem beneficii factam excommunicato esse irritam: quod clarius habetur in c. Postulasti.

7
Mortale peccatum in confessione commissum est contra substantiam sacramenti pœnitentiæ.

8
Prima sententia negans. Sylu. Palud. Anton. Maior. Gabr. Soto. Adrian. Ledesma.

Ca. vlt. de Cler. excomm.

Cap. Polli-
latus de Cle-
rit. irritum. Quinto absolutio ab excommunicato
data, est irrita, sicut qualibet alia sententia: ergo &
recepta: nam est eadem ratio.

Nihilominus dicendum est, tale sacramentum
validum esse, ita ut necesse non sit, confessionem
iterari: imo etiam suum habet effectum. Hæc est
communior sententia, quam vel non sibi constans,
vel limitans precedentem, tenuit Palud. in 4. d. 18.
p. 4. numer. 5. ubi tantum in duobus casibus hoc af-
firmat. Prior est quando excommunicatio est iniu-
sta: quod si intelligat de iura iniusta, ut sit nulla, per
senotum est: quia illa re vera nullum effectum ha-
beret, si autem intelligat de iniusta valida, nulla est
ratio excipiendi illam, quia reuera habet effectum:
vnde æque obligat ad non suscipiendum sacra-
mentum, quando durat, ut constat ex dictis supra de
censuris in communi. Alter casus est, quando ex-
communicatio probabiliter ignoratur ab ipso pœ-
nitente, qui est verus: si tamen consequenter loqua-
tur, idem dicere debet in omni casu, in quo pœni-
tens excusatur à culpa: quia sicut nō debet Ecclesia
ignorantiam inuincibilem condemnare, aut inno-
centem punire: quod ipse ait ita non debet vrgen-
tem, & inculpabilem necessitatem condemnare,
aut punire. Eandem sententiam tenet Adrianus c. 3.
de Clauibus, præsertim circa finem. & clarius q. 2. de
Confess. circa finem. ubi refert, & sequitur sententiā
Paludani paulo antea citatam. Idem tenet Medi-
na tract. 2. de Confess. q. de confess. ab excom. fact.
Petrus Soto lect. 4. de Excom. Nauar. in cap. 1. §.
Cautus, nu. 23. & ca. ult. n. 38. & 45. de Pœnit. d. 5. Co-
uar. in cap. Alma. p. 1. §. 6. a nu. 7. Et Caietan. in Sum.
verb. Absolut. impedimenta, & verb. Excommunicatio
minor. Excedit tamen Caietanus, quia non tantum
quando sine peccato, sed etiam quando pœnitens a-
liu peccat sic suscipiendum sacramentum, illud esse
validum affirmat, procedit tamen ex falso funda-
mento, scilicet actuale peccatum mortale in ipsa
confessione commissum, non esse contra substantiā
huius sacramenti: quod aliqui saltem verum pu-
tant (& ita interpretantur sententiam Caietani)
quando tale peccatum non ex malitia, sed ex igno-
rantia culpabili committitur, quod videtur sequi
Victoria in Summ. 4. tit. de excommu. nu. 3. Sed hoc
etiam falsum est, ut supra suo loco probauimus: & ideo,
omissa illa disputatione, solum probanda est asser-
tio posita præcise ex parte censuræ: quod proprie
locum habet, quando alia culpa, vel impedimen-
tum aliud non intercedit.

Plures autem rationes possunt ad hoc suaden-
dum asserri. Primo ex congruitate, quia re, quæ cul-
pam caret, in damnum vocari non debet, ut dicitur in ca. 2.
de Constitut. Item, quia, cum materia hæc sit odiosa,
restringenda est potius, quā amplianda. Iura vero,
quæ excommunicatum excludunt à sacramento-
rum participatione, non habent verba irritantia, sed
prohibentia tantum. Quod maxime confirmat ex-
emplum de matrimonio, quod fortasse posset Ec-
clesia irritata per censuram, nam; sicut induxit alia
impedimenta irritantia, potuisset hoc illis addere:
quod tamen non fecit, sed potius declarauit prohi-
bitionem censuræ non esse irritantem c. Significauit
de eo, qui duxit, & c. ergo non est cur strictius inter-
pretemur hanc prohibitionem in hoc sacramento:
Secundo asserri possunt rationes à simili, quia ex-
communicatus celebrans inculpabiliter ex igno-
rantia, excusatur à noua censura, seu irregularitate.
Item collatio beneficii facta excommunicato bona
fide, & absque culpa illud recipientem, valida est, ut
probabiliter Nauarrus supra opinatur: & infra à
nobis disputabitur: ergo à fortiori, &c.

Veruntamen propria ratio huius sententiæ esse
debet, quia per excommunicationem nihil tollitur,
quod sit de substantia sacramenti: ergo, si ex parte

Fr. Suarez tom. 5.

A suscipientis non interuenit aliud impedimentum, ita ratio,
sola censura non potest irritare sacramentum. Cō-
sequenter patet ex dictis: & antecedens probatur,
quia ibi non deest materia, neque forma, neque in-
tentio. Et (quod ad rem spectat, & in quo est pun-
ctus difficultatis) non deest iurisdictio, nam per ex-
communicationem priuatur quis iurisditione acti-
ua in alios, non tamen subiectione passiva ad alios
sibi superiores, seu (quod idem est) alij non priuan-
tur iurisditione in ipsum: alioquin non tam ipsorum
excommunicatorum, quam ipsius confessoris esset
talis pena. Ad quod etiam per argumentum à simili,
li, vel à contrario non nihil confert c. Olim, 3. de Re-
stitut. Quod ergo Victoria & Ledesma aiunt, hoc ip-
so quod quis excommunicatur, fieri quoad abso-
lutionem à peccatis, extra iurisditionem omnium,
qui eū non possunt absolueret, vel non absoluitur ab
excommunicatione: gratis dictum est. Primum,
quia nullo iure ostendi potest huiusmodi priuatio
iurisditionis. Quis enim dicat Parochum amittere
iurisditionem in suorum omnium peccata, alioqui
non reservata, solum, quia excommunicatione lig-
gantur? idemque est de religiosis ex privilegio ha-
bentibus iurisditionem. Quod præterea in hunc
modum declaro: nam si ipse Summus Pontifex im-
mediate abfolueret aliquem excommunicatum à
peccatis nolens absolueret ab excommunicatione,
siue ex malitia, siue ex ignorantia faciat, ipso ta-
men pœnitente nihil peccante, talis absolutio sacra-
mentaliter esset valida: ibi enim fingi non potest de-
fectus iurisditionis, quia nulla potestas humanā,
nec canonicum ius, & consequenter, nec censura
aliqua per illud introducta potest priuare Pontifi-
cem aliqua iurisditione: ergo in tali absolutione
nullus substantialis defectus interuenit, qui possit
reddere inualidum tale sacramentum. Ex hoc au-
tem recte concluditur censuram intrinsece non pu-
gnare cum valore absolutionis sacramentalis, ergo,
cum aliunde non constet sacerdotem priuari iuri-
sditione ob censuram alterius, sit ut absolutio ab eo
data nullo alio interueniente impedimento valida
sit. Quod magis confirmabitur respondendo ad ra-
tiones in oppositum, nam in his rebus, quæ pertine-
ad augendum rigorem pœnæ, sufficiens argumen-
tum, ut non addmittantur, est, si non satis probetur.

Rationibus contraria sententia satisfi.

P R I M A ergo ratio, si quid probaret, etiam de
Summo Pontifice procederet, quia etiā ipse di-
recte iudicare non potest de iis, qui foris sunt. Ex-
communicatus ergo non ita dicitur præcisus ab Ec-
clesia, ut Ecclesia iurisditionem in ipsum amittat;
neque externam, neque internam: sed quia communi-
catione bonorum, & membrorum Ecclesiæ priua-
tus est ex eiusdem Ecclesiæ præscripto: quæ non
propterea priuatur à Deo ipso tali iurisditione, ut
per senotum est. Neque etiam ipsa se priuat, imo for-
tasse nec priuare potest, quia semper manet in alio
character baptismalis; ratione cuius est Ecclesiæ
subiectus. Manet ergo in Ecclesia vtraque potestas
iurisditionis in ipsum, scilicet in foro contentioso, &
sacramentali, quæ interdum possunt esse simul in
eadem persona, ut est per se clarum: interdum verò
potest esse vna sine alia, nam iudex, præsertim dele-
gatus habere potest iurisditionem ad absolu-
endum à censura, & non à culpa. E contra igitur po-
test etiam quis habere iurisditionem absoluendi à
culpa, & non à censura. Vnde ad secundum negatur
maior, prout ibi simpliciter sumitur, nam Ecclesia
separat quidem excommunicatum à sacramentis,
prohibendo, non vero iudicando, quia generaliter
non potuit in omnibus, specialiter autem non ex-
prelsit

Ad pri-
mam.

Ad secun-
dam.

prestit in aliquo: non ergo simpliciter quatum potest, separat. Rursus separat prohibendo, non vero tollendo iurisdictionem: & ideo hic locum habet regula iuris *Multa fieri prohibentur, quae tamen facta tenent.*

13
Ad veriam.

At tertium respondetur, si illud esset validum etiam probaturum excommunicationem minorem irritare sacramentum, quod Soto ipse non admittit. Respondetur ergo, excommunicatum minori excommunicatione, de quo in illo textu sermo est, esse priuatum passiva susceptione, non vero actiua administratione sacramentorum, quia prior est ibi prohibita, non vero posterior: & ideo, per se loquendo, sacramenta ab illo administrata, virtutis non carent effectu, etiam ex parte dantis, quia in eo ministerio per se loquendo, non peccat, vt infra ostendamus. Sacramenta vero ab eodem excommunicato suscepta carebunt virtutis effectu, non tamen propterea nulla erunt, cum possint sacramenta subsistere quoad substantiam, sine effectu sui virtutis: carebunt autem hoc effectu, quando, transgrediendo dictam prohibitionem, & grauiter peccando, suscipiuntur. si autem suscipiantur cum sufficienti excusatione à culpa, neque effectu carebunt, quia non ponitur obex ex parte recipientis: & respectu illius prohibiti: nihil operatur, propter excusationem.

14
Ad quatuor.

Ad quartum respondetur in primis in illo capite ultimo, non dici electionem excommunicati esse irritam, sed irritandam: est enim ibi sermo de minori excommunicatione, de qua infra. Deinde, quia electio ligati maiori excommunicatione sit irrita per se loquendo, interueniente tamen bona fide electi res est dubia: & licet admittamus etiam runc electionem esse irritam, vt infra disputabitur, nulla est conlectio, quia, vt saepe dixi, in his poenis nullum est argumentum à simili: ibi enim inueniri potest lex irritans: hic vero non inuenitur: neque est difficile diuersitatis rationem assignare, quia non est ita necessaria electio ad salutem, sicut confessio. Et ob eandem rationem negatur consequentia quinti argumenti, quae etiam erat à simili, de quo est longe diuersa ratio: quia quando minister est excommunicatus directe priuatur iurisdictione, & ideo absolutio ab ipso data nulla est, etiam si penitens non peccet, & alias sit dispositus, vt infra dicemus: per excommunicationem autem poenitentis alter non est priuatus iurisdictione. Et ob similem fere rationem, licet propria Ecclesiae suffragia applicata excommunicato sine culpa eius non habeant effectum, non potest inde sumi argumentum, ad hoc sacramentum, quia suffragia pendunt ex voluntate Ecclesiae, non tamen sacramenti valor, si cetera necessaria concurrant: sicut etiam de sacrificio supra declarauimus, vnde suffragia de facto non offeruntur pro excommunicato, absolutio vero illi datur, id est eoque in illo operatur.

Ad quatuor.

15
An dicta sententia verum habeat etiam in censuris reueratis.

Sed quæret aliquis, an hæc resolutio procedat, etiam si censura reuerata sit. Respondeo solius censuræ reuerationem per se nihil referre, cum supponamus censuram non tolli: quia vero cum excommunicatione reuerata simul reueratur culpa, ideo ex hac parte oriri potest difficultas, & coincidit cum illa quæstione, an cum quis bona fide ex parte sua absoluitur ab omnibus peccatis ab eo, qui non habebat iurisdictionem in omnia, sed in quædam tantum, maneat absolutus saltem ab illis, quæ erant sub iurisdictione absoluentis, ac proinde sacramentum fuerit validum, ne teneatur quis illa iterum confiteri. De qua re in superioribus dixi talem confessionem validam esse, quia quantum ad id concurrunt omnia, quæ sunt de necessitate sacramenti, & integritas absolutionis materialis, vt aiunt, seu quoad effectum non est de substantia sacramenti, vt ibidem ostensum est. Hac ergo ratione etiam in presenti est validum tale sacramentum: quia hic solum

Dubio res.

A adiungitur defectus iurisdictionis in censuram, cum autem censura ipsa per se non sufficiat ad irritandum sacramentum, neque defectus ille potest sufficere, si cetera necessaria concurrant.

Addit vero Angelus verb. Confessio, 5. nu. 10. non solum talem absolutionem esse validam, sed etiam licite dari à sacerdote inferiori, etiam absque speciali causa, vel necessitate, vt indicat, sed iure ordinario, quia potest (inquit) eum absolueri à peccatis, & remittere ad superiorem pro absolutione à censura: in quo etiam indicat non esse necessarium, vt postea sacramentaliter absoluitur à superiori à tali peccato reuerato, sed solum ab excommunicatione. Refertque pro hac sententia Richardum in 4. d. 18. art. 9. quæst. 4. Veruntamen nec Richardus ibi hoc docet, sed potius contrarium, neque illa sententia ita generatim intellecta probabilis est: alioqui excommunicatus ab homine semper posset à peccatis absolui, à quocunque ordinario confessore, & remitti ad iudicem, vt à censura absolueretur: quod est omnino falsum, & contra vsum Ecclesie, & contra vim huius censuræ: alioqui quo modo verum est quod excommunicatus est priuatus omnibus sacramentis: Diceret fortasse Angelus, excommunicatum priuari sacramento poenitentiae, quando per illum stat, quominus à censura absoluitur: quando vero iam contritus est, & paratus Ecclesie obedire, & per eum non stat quo minus à censura absoluitur, iam non esse à sacramentorum perceptione remotum. Sed hoc etiam fundamentum ita absolute & simpliciter propositum, falsum est, vt melius docuit Syluester verb. Confessio, 3. q. 8. referens plures, & dicens esse communem sententiam Theologorum, & Iuristarum. Idem Nauar. in cap. Consideret, §. Cautus, n. 24. de Poenitent. d. 5. Et ratio est eadem, quia excommunicatio maior inducit hunc effectum, vt dictum est: quando autem excommunicatio non tollitur, semper operatur suos effectus, per se loquendo, etiam si persona coram Deo iustificata sit, vt à simili patet ex dictis supra de effectu priuationis suffragiorum in simili casu: est enim eadem ratio, & Doctores ibi citati hoc etiam affirmant.

16
Angeli ex conf.

Rich.

Angeli ex conf.

Eladit.

Syl.

DISPUTATIO XI.

De tertio effectu excommunicationis, qui est priuatio actiua administrationis sacramentorum, & sacrificij Ad i. s. l.



RECA hunc effectum supponendum in primis est ius antiquum, quo omnes ligati excommunicatione maiori priuabantur, & celebratione Missæ, & administratione actiua sacramentorum, capit. Si celebrat, de cleric. excom. ministr. & aliis. Quod ius nunc manet integrum quoad excommunicatos vitandos, iuxta superius dicta circa Extrauag. Ad emitanda, & ideo in illis prius explicabitur, & postea quomodo locum habeat in excommunicatis non vitandis.

SECTIO I.

Virum Excommunicatus vitandus mortaliter peccet ministrando sacramentum, vel sacrificium offerendo.



Regula generalis est hoc esse peccatum mortale ex genere suo, cap. Si celebrat, de cler. excom. ministr. & in c. l. a. n. r. a. l. i. s. Ca. tores, eod. tit. & patet à fortiori ex dictis celebrat. Etis præcedent. disputat. sect. i. n. a. i. t. a. de C. n. exprohibi. sum. ministr.